MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV: 1.7. 1.9.)
Melk, um 1470 Seite 168r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Postea adrianus euocans tertiam. temptabat eciam ipsam mollibus decipere uerbis. Sancta uero et perfecta. quasi uera caritas respondit ei. An ignoras idem me genitoribus quibus priores editam. eademque doctrina institutam. et miserum esse infirmiorem me illis inueniri quibus sum genere et educacione consimilis. Adrianus auditis caritatis sermonibus magis accensus insania iussit eam suspendi. et per noua quedam argumenta torqueri. Cum parum machinamenta sua uideret proficere: imperauit eam sic suspensam flagellari. Ad quod tormentum sancta eleuans oculos ad celum exclamauit dicens. Domine ihesu xpe. auxiliare mei. Et tyranno dixit. Inuanum laboras. Ego enim pro dei amore non sencio cruciatus. Adrianus turbulenta et terribili uoce. si non uis adorare aut deos. dic tantum magna diana. et dimittam te. Respondit illa. Stulte et insane. quid adversaris anime mee? Facito quod uis: nam hoc a me nunquam poteris optinere. Ita adrianus iussit eam in ignem mitti. Et cum ipse accessisset ad fornacem. et cogeret ministros ut accelerarent. ingressura illa incendium. signauit se in nomine xpi. Et cum intrasset erupit subito flamma de camino. et conbussit grandem turbam uirorum. Sancta uirgo deambulabat in igne. glorificans et laudans deum. Adrianus stupefactus erubuit. et precepit eam de fornace educi per protectores. Qui cum proximassent ori fornacis. tres cum ea uiderunt deambulantes. quorum tamen aspectus sole splendidior erat. et territi ad uisionem ceciderunt in faciem. In de recuperato spiritu surgentes. humili prece rogabant uirginem ut egrederetur. Que egressa uenit cum protectore ad imperatorem. et ut eam uidit ilico iussit occidi. Audiens sancta dei puella preceptum regis. clamauit ad matrem. Mater memento mei. Et mater ad illam. Filiola ora pro me cum sororibus tuis: ut et me xpus cito iubeat ad uos uenire. Et his a matre dictis. percussa est uirgo. Sancta uero sophia mater puellarum collegit corpora. et condiens ea aromatibus imposuit uehiculo. et portauit ad octauum decimum miliarium ab urbe roma. ibique sepeliuit ueneabiliter in deo martirum memoria digna. et reuersa est romam gratias agens deo de electione pignorum. Post hoc abiit ad memoriam filiarum. et multe cum illa mulieres portantes similiter secum aromata. ad adorandas reliquias martirum. Et cum turbis presentibus se proiecisset in oracione super sepulchra filiarum et cum lacrimis diceret filiole accipite me ad uos. uelut sopore pressa quieuit in pace. Ille ergo mulieres que cum ea uenerant. sepelierunt eam in eodem loco iuxta filias. gaudentes de diuina super genus humanum electione. Tyrannus autem egritudine coartatus est. Nam oculi eius excecati sunt. carnes liquefacte. de ore flegma insanie uersa uermes